



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 8. An, & cur Deus etiam Magis, in ventos permittat potestatem?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

reſte Sigiberto, Anno 1081. cū campanile
 Eccleſia S. Petri Maldemburgenſis, in Belgio,
 (quam, ipſo Apoſtolo ſibi reuelante extruxerat,
 & conſecrârat S. Vrſmarus Episcopuſ) vehe-
 menti vento flante euulſum, inq̄ terram inuer-
 ſum, ita in aëre penderet, ut tum ſui ipſius, tum
 vicinorum omnium ruinam minitaretur, popu-
 lūſque in 6. dierum, totidēmq̄ noctium ſpatio
 tractaret, quanam ratione, hinc inde extractis
 machinis, ſurſum erigi poſſet; ecce prid. cal Ian.
 circa noctis medium tota Eccleſia intus ac foris
 luce ignea diuinitus impletur: ipſum verò cam-
 panile totū ſimul erigitur, ſuiſque in ſedibus fir-
 miſſimè, campanis mox ſonantibus, reponitur.
 Hoc imperiū in ventos, ſolus DEVS habet.

§. VIII.

An, & cur Deus etiam magis, in ventos per-
 mittat poteſtatem?

Vel fabuloſum igitur, vel Magicum fuit,
 quod Suidas refert, cū aliquando Eteſiæ
 ita vehementer flarent, ut fruges ſternerēt,
 Empedoclem Agrigentinum, nouo philoſo-
 phandi genere, juiſſe aſinos, animal ſine
 fraude doloq̄, excoriari, & vtres fieri, eōſque
 in promontorijs extendi, ut ventum utiq̄
 aſininum exciperent. Quo ſopito, appella-
 tus fuit κωλυσάνμας; quaſi prohibitorum ven-

torum dicas. Sifti enim, & excitari, si DEVS permittat, etiam dæmonū arte, ventos, non solū vtres Vlyssi, alijsq̄ue dati, & nodi sudariolorum vincti, vel soluti, ac ventū in silentia ligantes, vel in maria emittentes, venditi, sed ipsæ etiā diuinæ litteræ docent; in

Iob. 1. 19. quibus ad Iob dicitur: *ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domus, quæ corruens oppressit liberos tuos, & mortui sunt. Quæ, mali genij suggestione & opere, facta sunt; non tamen antè, quàm DEVS illi diceret; Ecce uniuersa, quæ habet, in manu tua sunt.* E quibus, instruimur, ventos & tempestates cieri quidē à malignis spiritibus, qui ministri sunt pariter & rerum aduersarum procuratores; non posse autē cieri, nisi potestate concessa ab eo, cui summū imperium est in ventos, & omnem creaturam. Permittit autem eam potestatem, vel ad castigandos homines; vel ad probandos; vel, si peruicaces sunt, vt impleant numerū ac mensuram peccatorū. Perinde autem est, seu immittantur, hac arte, venti, seu inhibeantur; vtroq; modo nocere possunt: cum sit & procella, & malacia nauigantibus periculosa.

§. IX.

Et nixium, & nullum ventum nocere posse,

Ni.